

pertractandis. Et quia contra regem Francie¹ manum apponere non possemus² cum connivencia nec debemus, antequam mutuo colloquamur, nec expediat³ honori vel utilitati utriusque nostrum predestinatum animi nostri propositum contra eum ulterius protelari, quin potius factum aggredi, ut res desideret² et temporis expostulet³ aptitudo, excellenciam vestram requirimus et hortamur, [quatinus]⁴ ad comitatum Hoylandie, ad quem securus vobis patet accessus, vestram presenciam quamtocius conferatis, ut ibidem in terra⁵ spectabilis viri⁶ generi vestri et consanguinei nostri⁷, qui re vera locus ad id magis aptus habetur, possimus mutuo⁸ nostra negocia pertractare, nobisque per celerem nuncium voluntatem vestram intimetis et quando vobis occurrere debeamus, paratis id exequi iuxta votum. Et licet expedicio festina negocii persuadeat, ut statim sine armis personaliter veniatis, expedit tamen, ut a tergo cum vestra milicia et aliis necessariis continuo taliter vos paretis, ut in execucione deliberandorum mutuo mora longior non queratur. Nam pro parte nostra invenietis nos sic accinctos, quod⁹ dilacionem aliquam non erit necessarium interponi. Speramus etenim, quod favente nobis dextera divine virtutis, dummodo viriliter aggrediamur negocium, potiri debeamus beatitudine successuum votivorum, negociis, circumstantiis undique perlustratis.

Ceterum ad nostram¹⁰ pervenit noticiam, et sub forma scinceritatis et amicie, qua vobis astringimur, consiliatoris partes assumimus, in hoc casu fideliter consulentes, cum rei veritas se sic habeat, quod unicum habeatis filium¹¹ vobis in regno et aliis vestris principatibus successorem, fidelitatis ordine observato, quatinus ad nupcias congruentes excellencie vestre statui convolare curetis propter regni et tocius status vestri dominii fulcimentum. Nam si, quod Deus avertat, vos absque herede regni decedere contingeret ab hac luce, tocius christianitatis res puplica¹² sibi exinde sentiret irremediabilis dispendii periculum imminere. Quodsi adquiescere decreveritis nostris consiliis in premissis, nobis¹³ id intimare curetis applicaturis ad hoc opem et operam efficaces, ut talis¹⁴ vobis regni socia copuletur, quam nobilitate generis et excellencia sanguinis generosi, virtutum

1) Philipp den Schönen. 2) So Hs. 3) 'expostilet' Hs.
 4) Fehlt Hs. 5) 'in terra' von derselben Hd. am Rande zugefügt.
 6) Johans I. von Holland. 7) 'vestri' Hs. 8) Corr. aus 'mutua' Hs.
 9) 'quo' Hs. 10) 'vestram' Hs. 11) Eduard II. 12) So Hs.
 13) Doppelt geschrieben Hs. 14) 'tales' Hs.